



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illvstrivm Virorum Poemata**

**Cesarini, Virginio**

**Antverpiae, 1662**

Ad Favstinvm. Ferdinando Fvrstenbergio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7990**

## A D F A V S T I N V M .

**Q**uod ferro, Faustine, tibi, quodq̄, ære rigenti  
 Mulciberis constat nobilis arte torus,  
 Horresco. Nescis, heu, quæ portenta cubili  
 Sub tali foueas nocte dieq̄, miser.

Nam, Maro si verus, verum est quoque credere, lecto  
 Versari Eumenidas nocte dieq̄, tuo.

F E R D I N A N D O  
 F V R S T E N B E R G I O .

**P**ascenti procul Vrbe animum Septembribus horis,  
 Crura sacer mihi cum lentè percurreret ignis,  
 Et miseros artus stimulis arthritidis acutis  
 Vreret, ac toto tentarer corpore, demum  
 Decubui fessus monitu imperioq̄, medentum.

Accipe nunc, Fernande, tori quæ commoda nostri,  
 Deliciaq̄, quibus cessantem frangere morbum  
 Sperabam, victorq̄, feros superare dolores,  
 Moxq̄, frui letus iucundi gaudia ruris.

Principio apparet lecti modus haud ita magnus:  
 Tres in fronte pedes, paulò plus tentus in agrum,  
 Dimidiamq̄, pavimento vix altior vlnam;  
 Vnde solum digitis pulsare micantibus imum,

Perq̄



APOLLONII FLORENTIS. 41

*Perq̄, leues auras iactatis ludere talis,  
 Mite laboranti solamen. Culcita duris  
 Durior imposita asseribus, non illa minutis  
 Aut plumis infarta, aut vellere pinguis Ibero.  
 Cyniphiis tondent sed quale in vallibus hirci,  
 Horrentesve apri, Numidæve in montibus urfi,  
 Tomento oppletur Cilicum de stamine saccus.  
 Inuoluit super hunc animosis sospes ab Euris,  
 Et decimo fluctu, fædisq̄, agitata procellis  
 Carbasus, assutis obtendens vulnera pannis.  
 Nauticus horrescit supremo tegmine cento,  
 Blattarum ac tinearum epulis subductus, & unde  
 Diripuerè dapes magno certamine mures.  
 Cetera (quod multo mireris non sine risu)  
 Regifico surgunt luxu, textuq̄, renident  
 Attalico, & Babylonis acu, Phrygioḡ, labore.  
 Quattuor ingentes Ephyræo ex ære columnæ,  
 Aurati fulgent quarum alto culmine coni,  
 Vela ferunt pretiosa, & nobile conopeum.  
 Sed neque feruenti citius de sanguine febris,  
 Nec dolor abscedit membris, nec pectore curæ,  
 Textilibus si in picturis aurum inter & ostrum  
 Iacteris, quàm si plebeiâ in veste cubaris.  
 Quod te per nomen iucundum, & fœdera dulcis*



42 POEM. APOLLON. FLORENT.

*Testor amicitiae, per sanctae pignora dextra,  
Per mores, geniumque tuum, miseresce iacentis.  
Dumque datur placidos in lucem carpere somnos,  
Et tibi lauricomo veniunt insomnia Pindo,  
Inspirantque quiescenti nova carmina Musae,  
Dulce aliquid mihi Castalio transmittite liquore  
Perfusum Forsan vatum Deus, artis & idem  
Inuentor medicae sic me seruarit Apollo.*

